



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1562 usque ad annum 1563

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 9011860X

§. 1. Denuo actum de decreto circa residentiam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66641)



HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ

CONTINUATÆ

LIBER CLXII.



PIUS IV. PONTIFEX MAXIMUS,
FERDINANDUS I. OCCID. IMP.

§. I.

*Decretum de residentia rursus pro-
positum.*

Cum ergo Lotharingii Cardinalis for-
mula circa Episcoporum jurisdic-
tionem ab omnibus impugna-
retur, Legati eam ad summum Pontifi-
cem Romam mittere decreverunt, sup-
plices, ut is suam desuper mentem
aperire vellet: pariter vero hi eidem
utramque significabant viam, quam i-
dem Cardinalis pro sedandis omnibus
controversiis circa septimum Canonem
exortis suggererat, quarum prima e-
rat, ut ad tollendas hasce difficultates
ex singulis nationibus duo seligerentur
deputati: altera autem erat, ut de hi-

Sæcul. XVI.
A. C. 1562.
Pallav. c. 7.
n. 3. & 4.

Q 9 4

fce

Sæc. XVI.
A.C. 1562.

scē quæstionibus silentium imponeretur, hacque ratione ejusmodi dissensiones sopirentur, atque animi plus justo effervescentes ex quodam veluti sopore ad placidam, honestamque quietem migrarent. Verum utrumque hoc medium rejiciebatur, & quidem primum, eo quod illud graviori periculo esset obnoxium: altera vero respuebatur, quia ob nimium Præsulum ardorem ejusmodi remedium Legatis vix possibile videretur: eapropter usquedum Papæ responsum circa novem Canonum normam afferretur, interim de residentia decreto a Mantuano Cardinale die sexta Novembris proposito rursus agi cæptum, in tamen, in hoc decreto quædam mutationes adhiberentur, sollicitante ipso Lotharingio Cardinale, aliisque, quibus una ex parte decretum circa poenitentiam contra non residentes, statutas nimis severe, ex altera vero in excusationibus comprobandis nimis arctum videbatur: oportune tamen accidit, ut hujus rei discussio inciperetur, antequam adveniret Lunensis Comitis epistola, quæ non nisi die vigesimo primo Decembris allata Hispanorum animos federe nata erat: insuper in iisdem literis Comes Pagnano, quem a secretis habebat, significavit, quod Regis Catholici Orator ad Tridentinam Synodum deli-

destinatus esset: His quoque addebat Sæcul. XVI
 Lunensis: „Rex per Vargam fuit edo- A.C. 1562.
 „ctus, quod Galli articulum de residen-
 „tia decidi ardentem cuperent, timen-
 „dumque esset, ne sua spe frustrati in-
 „de discederent: cum ergo Regia sua
 „Majestas nil nisi Dei gloriam intendat,
 „nil aggredi desiderat, quod vel Ec-
 „clesiæ paci, ac concordia, vel Con-
 „cilii continuationi obesse posset: id-
 „circo mens ipsius est, ut in hoc nego-
 „tio caute, ac honeste cum Episcopis
 „Regi addictis agatur, ac cum illis be-
 „nevole quidem, non tamen nimis con-
 „fidenter, conferatur.„ In eandem
 quoque sententiam concepta erant
 mandata a Rege tradita Aloysio Avilæ
 summo Alcantaræ Commendatori, qui
 Orator Romam destinatus erat ad pre-
 ces summi Pontificis, qui sæpius que-
 rebatur, negotia lentius procedere, eo-
 quod Rex Catholicus nullum Romæ
 haberet Oratorem, cui Pontifex præci-
 pue in Concilii rebus fidere posset.

§. II.

*Lotharingii Cardinalis oratio circa
 Residentiam.*

Itaque feria quinta die decima Decem- Pallav. c. 7.
 bris circa quæstionem de residentia n. 14.
 Conventus celebratur, in quo Lotha- Psalm. p. 350
 ringius Cardinalis prior verba faciens,
 Q 9 5 hanc